

## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Volvminibvs Comprehensvs

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. II. Arcana Jansenianæ doctrinæ radix detegitur, & extirpatur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](#)

## DISSERTATIO THEOLOGICA

culpa, quod ignorans fecisset, & non desinere justum esse eum qui facit aliquid injustum, plaus ignorans esse tale. Quam ejus existimationem confirmavit Deus, ita respondens: Et ego scio quod simplici corde feceris, & id est custodivite, ne peccare in me.

**333** Tertius sequitur ex hac sententia, plerumque esse fortunæ, & non voluntatis, quod homines peccent, vel non peccent, prout videlicet id quod agunt est conforme vel disforme iuri naturali invincibiliter ignorato: quod absurdissimum est; cum vera & sola causa peccati voluntas creata, ut operari disformiter ad regulas motum, non vero causus aut fortuna.

**34** Denique ex illa sententia sequitur incredibilis conscientia perplexitas, inquit & peccandi hic & nunc in vita his necessitas, quotiescumque aliquis probabiliter & bona fide judicat aliquid sibi agendum esse, neque posse omitti sine peccato, & tamen illud naturali jure illicitum est. Peccabit enim id faciendo, juxta Adversarios, cum juxta ipsos ignorantia invincibilis juris naturalis a peccato non excusat: peccabit etiam non agendo, quia ager contra conscientiam, qua ipsi dicitur hoc esse agendum: peccabit igitur quocumque se vertat, & si hoc faciat, siue non faciat: quod non solum absurdum est, sed etiam à fide penitus alienum. Unde in censura Sorbonæ anno 1560. die 27. Junij data, hæc propositio ut heretica proscriptitur: Homo faciendo quod in se est, peccat, & non potest non peccare faciendo quod in se est. Cui similis est ista damnata à tribus Pontificibus supra nominatis in bulla contra Baium, Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessarium facit.

## § II.

Arcana Janseniane doctrina radix detegitur,  
& extirpatur.

**35** **C**UM rectè dixerit Augustinus: Radicem effondere atque extirpare compendium est, non protestamus conclusio nostra stabiliri, nec Jansenij & Wendorchij doctrina efficacius confutari, quam ejus radicem extirpando: nam quia ex illa pullulare dicunt & efflorescere, eadem operi sufficidentur.

Jansenius ergo lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 2. & sequentibus, vulgare istud pronuntiatum, quo Philosophorum & Theologorum Scholæ omnes personant: Ignorantia invincibile excusat à peccato, falsum esse pronuntiat, duplumque ignorantiam invincibilem distinguit, unam juris naturalis, alteram juris positivi; & docet hanc à peccato excusare, non verò illam; quia (inquit) ignorantia juris naturalis à peccato originali profuit, & in Adamo nobis voluntaria fuit (quod ad peccatum actuale sufficere existimat) non verò ignorantia juris positivi. Cujus differentia rationem hanc reddit cap. 6. tanquam radicem arcane hujus doctrinae, quia scientia juris naturalis humanae naturæ conaturalis est, eique debita naturaliter, & illa sufficent omnes praediti in statu innocentia; id estque ejus ignorantia est vitiola, nec potuit nisi in poenam peccati infligi: secus autem cognitio juris positivi, etiam divini; quia quod feratur lex divina positiva, pendet a libera Dei voluntate, & idcirco ejus scientia neque humanae, neque angelicæ naturæ conaturalis est.

**A** Ignoram fuisse haec tenus tam reconditatem doctrinæ radicem dicit Jansenius, sed falso: eam enim expressè tradit Hieronymus Zanchius partim Lutheri, partim Calvini sectator lib. 1. tract. Theolog. cap. 1. 2. thes. 1. ubi post longam de ignorantia juris naturalis dissertationem, ita concludit. *Summa: Omnis ignorantia eorum que quis se re tenetur peccatum est: quia cum lege, quæ subvenit illa cognoscere, pugnat, siue ea cognoscere jam posse fuisse non posse. Quod enim iam non posse, peccato Adae, quod tuum est, quia omnes in eo peccaverunt, factum est. Quare falluntur Scholastici, cum tamen ignorantiam, quam invincibiliter vocant, id est a peccato excusant, quia invincibiliter sit ut loquantur. Quanquam evincere possamus, eam non esse simpliciter invincibiliter, cum voluntariorum Adæ peccatum sit consequitur; En arcana hujus doctrinae Scholasticis haec tenus ignorantia radicem: cui securim adhibeo, & duo præcipua ejus capita sigillatim aggredior.*

Et primò quod ait Jansenius ignorantiam juris naturalis non excusat à peccato, quia originalis peccati poena est, manifeste fallitatis convincitur: *Quia si hæc ratio valerer, sequetur motus concupiscentiae prævenientes confessum voluntatis, inquit & ipsi repugnantes, esse vere & propriè peccata homini impunitias; cum fomes concupiscentiae, seu rebellio appetitus sensitivi, ex peccato originali provenias: Hoc autem repugnat Tridentino sensu. I. cap. 5. dicente: concupiscentiam nocere non posse non consentitibus: & Augustino lib. 2. in Julian. cap. 9. lib. 1. contra duas epist. Pelagian. cap. 1. & lib. decim. cap. 2. ubi sic ait: Illa concupiscentia inobedientia, si absque culpa est in corpore dormienti, quantum magis in corpore non consentientiis.*

Item infidelitas negativa est peccatum; cum illa pariter à peccato originali proveniat, & sit reprobationis effectus, cuius causa est originale peccatum, ut docet Jansenius lib. 10. de gratia Christi cap. 3. Hoc autem falsum & erroreum esse patet: Primo ex Bulla trium Pontificum super nominatorum, contra Baium, in qua damnatur hæc propositio: *Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est predicatus, peccatum est. Secundo ex Augustino Epist. 10. dicente: in illis qui non audierunt, neque potuerunt, pena peccati est non credere, non autem peccatum. Tertio ex D. Thoma 2. 2. qu. 10. art. 1. ubi expressè docet, quod si infidelitas accipitur secundum negationem puram, sicut in illis, quinque audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pena: quia talia ignorantia ex peccato prima parente consecuta est.*

Sequeretur etiam ex eodem Jansenii principio, quicquid male faciunt insanii & phreneticis, esse peccatum, & culpabilitatem agere cœcum à nativitate, qui volens v. g. canem abigere, hominem percutit, ignorans invincibiliter eum adesse. Nam phrenesis, insania, & cœcitas corporalis, aliaque generis humani miseria, sunt etiam effectus & poena originalis peccati, & ab eo ut rivuli à fonte profluant, huc docet Adversarius lib. 3. de statu naturæ puræ cap. 11. 14. & 15. Hoc autem absurdissima esse, & à communis hominum sensu penitus aliena, quis non videat? Unde cum Augustino lib. 1. de peccato meritis cap. 36. similem absurditatem diluente, exclamare possumus: *Dicant ista qui aufuerint, audiant qui voluerint, credant qui potuerint. Vel hæc verba ejusdem S. Doctoris lib. 3. contra Julian. cap. 2. Jansenianis applicare: Mira sunt quæ dicitur, nova sunt quæ dicitur, falsa sunt quæ dicitur.*

*iu. Mira stupemus, nova caveremus, falsa convincimus.*

Firmior non est ejusdem fundamenti pars altera, quā docet Jansenius ignorantiam juris positivi idē excusare à peccato, quia non est in penam peccati inflicta. Nam p̄mō gratis illud dicit, cū nullum S. Augustini, vel Docto-  
ris alterius testimonium proferat, quo probet ignorantiam legis positivā, peccati penam non esse.

Deinde Sanctis Augustino & Hieronymo aperte repugnat, qui cū adversus Pelagianos contendunt ignorantiam malam esse, & peccatum (id est detectum ex originali peccato pro-  
cedentem, ut infra ex Augustino patebit) plu-  
rima ignorantia facti & juris positivi exempla  
producunt: ut illud Genes. 20. ubi actio Regis Abimelech accipientis in uxorem Saram, quam  
invincibiliter ignorabat esse conjugem Abra-  
ha, peccatum dicitur; & illud Num. 35. ubi qui  
fortuit occiderit, putā qui hominem interfec-  
erit, credens esse saram (quae est etiam ignoran-  
ti facti) jubetur recurrere ad civitates refugij,  
ibique manere, donec summus sacerdos moria-  
tur. Item illud Levit. 5. & 22. ubi homini, qui  
per ignorantiam facti, aut juris positivi, aliquid  
immundum tetigit, aut sanctificatum comedit,  
tanquam pro peccato sacrificium offerre præ-  
cipitur. Sitandem illud Apostoli: *Misericordiam tuorum sum, quia ignorans feci in incredulitate, quod de ignorantia legis Evangelicæ, non verò legis naturalis, esse intelligendum manifestum est.*

Tertiò: Infidelitas negativa est ignorantia alius legis positivæ, scilicet Evangelicæ: Sed illa est pena originalis peccati, & ex peccato primi parentis conseuta est, ut docet S. Augustinus & D. Thomas suprà relati: Ergo ignorantia legis positivæ est pena originalis peccati.

Quartò: Nulla miseria, nullumque malum reperitur in homine, quod non sit pena originalis peccati, ut docet Jansenius lib. 3. de statu nature puræ cap. 10. 11. Sed ignorantia legis pos-  
itivæ, ad salutem necessaria, est magnum malum & miseria: Ergo etiam ignorantia legis positivæ divina à peccato primi parentis orta est, & est unum ex quatuor vulneribus à pecca-  
to originali causatis, de quibus ait S. Thomas 1.2. quæst. 8. 5. art. 3.

Denique: Etsi lex divina positiva à libera Dei voluntate dependeat, si tamen re ipsa lata fuerit, non potuerit ejus ignorantia in statu innocentia reperiri; cū ab illo fœlicissimo statu debuerit abesse omne malum; omnisque miseria, & igno-  
rantia legis divina latet, & ad salutem necessaria, non exiguum malum & miseria sit: Ergo ignorantia legis divina positivæ, in statu naturæ lapsæ, est pena peccati. Consequenter pater: quia juxta doctrinam Jansenii, ignorantia omnis, quæ in statu innocentia contingere non pos-  
uit, pena peccati est. Non potest ergo subsistere discri-  
men illud, quod inter ignorantiam juris naturalis, & ignorantiam juris positivi Jansenius statuit, subindeque nec radix arcana hujus doctrinæ; nec (ut perbellè ait quidam Recen-  
tior) à radice tam rituata alios sperare fructus licet, quām quā arboribus Sodomei lacū rīpa ad sitū profun-  
dantur, qui cū exteriori cute vestiuntur amara &  
elegans, nihil tamen præter fuliginem atque putre-  
dinem continent.

*Convelluntur præcipua fundamenta Iansenii.*

**C**ontra nostram sententiam in primis objici 239  
possunt plura Scripturæ loca, quibus non-  
nulla facta ex ignorantia, appellantur peccata,  
ut Genes. 20. actio Regis Abimelech accipientis  
in uxorem Saram, quam invincibiliter ignora-  
bat esse conjugem Abrahæ, peccatum dicitur.  
Et Levit. 5. statuuntur sacrificia offerenda pro  
illis qui peccaverint ex ignorantia. Unde ad  
Hebreos 9. Apostolus ait; quod semel in anno  
solus Pontifex intrabat in tabernaculo, quod  
sancta sanctorum dicebatur, non sine sanguine  
quem offerebat pro sua & populi ignorantia. Item  
David Psal. 24. inter peccata sua commemorat  
ignorantias, si corans: *Delicta juventutis meæ, &*  
*ignorantias meas ne memineris.* Denique Luca 12.  
dicitur quod servus, qui non cognovit voluntatem  
Domini sui, & fecit digna plaga, rapulabit paucis.

Respondeo primò, hæc Scripturæ testimonia  
obesse magis quam prodelle Adversariis: cum 240  
fere omnibus illis in locis sermo sit de ignoran-  
tia facti, vel juris positivi, quam, si est invincibi-  
lis, fatentur illi excusare à peccato.

Secundò respondeo; in his locis sermonem  
esse de ignorantia vincibili, quam fatemur non  
excusare à peccato: ut enim ait D. Bernardus  
epist. 77. supra citata: *Multa scienda nesciuntur,  
aut sciendi incuria, aut discendi desideria, aut verecundi-  
a inquirendi; & quidem eju[m]odi ignorantia non  
habet excusationem.* Unde ad primum, vel di-  
catur actionem Regis Abimelechi, uxorem  
Abrahæ ignoranter accipere volentis ad conju-  
gium, vocari peccatum materialiter, quia erat  
illicta ex natura rei; non verò formaliter, quia  
ob defectum cognitionis & scientiæ non erat  
culpabilis, ut ante exposuimus: vel ignorantia  
illam fuisse vincibilem, ut docet Henricus  
de Gandavo quodlib. 12. quæst. 25. ubi sic ait:  
*Abimelech revera peccasset, si cognovisset Saram, et  
iam ipsa accepta in uxorem: quia non sufficienter  
inquisivit an fuisse uxor Abrahæ, &c.* Illud ipsum  
iudicem ferè verbis tradit Hugo Cardinalis in  
caput 20. Genes.

Ad secundum & tertium similiter dico, in  
veteri lege statu offerenda esse sacrificia pro il-  
lis qui peccaverant ex ignorantia vincibili &  
culpabili. Unde Summus Sacerdos semel in  
anno, in tabernaculo, quod sancta sanctorum  
dicebatur, intrabat, ut offerret sanguinem pro  
sui & populi ignorantias, aliquo modo volunta-  
riis & invincibilibus; de quibus etiam loquitur  
Propheta, dum ait: *Delicta juventutis meæ, &  
ignorantias meas ne memineris.*

In ultimo sermo est de servo non penitus  
ignorante præceptum Domini, sed ad illud ex  
negligentia non advertente, seu ex ignorantia  
vincibili & culpabili illud ignorantem, ut expo-  
nunt Magister in 2. dift. 22. & D. Thomas in ca-  
tena in Lucam cap. 12. ubi haec verba Theodo-  
reti refert: *Hic objiciunt aliqui: merito punitur,  
qui sciens voluntatem Domini non persequitur. Sed  
cur punitur ignorantis? quia cū ipse potuisset, noluit,  
sed pigritans ipse fuit ignorantia sua causa.*

Opponit secundò Jansenius duo insignia D. 241  
Augustini testimonia. Primum desumitur ex li-  
bro de gratia & lib. arbit. cap. 3. ubi sic ait: *Illa  
ignorantia, quæ non est eorum qui scire nolunt, sed  
eorum qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic*

*Q q 3 excusat,*